



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Stephani Papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Ostiensis libro I. capite 45. Magno cum luctu vniuersæ ec-
clesiæ mortuus est anno Domini 885. sepultus in basilica
sancti Petri. Quanto tempore sedes apostolica post mor-
tem illius pastore destituta fuerit, non satis liquet, &c.

VITA ET EPISTOLÆ
STEPHANI PAPÆ V.

ANNO
CHRISTI
885.

Ex Anasta-
sio biogra-
pho ponti-
ficum, qui
hucusque
excurrit,
non ultra
progressus.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Hadriano,
de regione Via lata, sedit annos quatuor, menses se-
ptem, dies quatuordecim. Iste siquidem beatissimus pon-
tifex nobilium parentum, Romanorum quoque, prosa-
pia ortus, dum per Dei gratiam cresceret, sacris est edoctus
dogmatibus, studio & sollicitudine Zachariæ sanctissimi
episcopi consanguinei sui, & sedis apostolicæ bibliotheca-
rii. Cumque conspiceret piæ memoriæ Hadrianus iunior
pontifex moribus bonis pollentem, & literarum studiis
feruentem, a prædicto inlyto genitore suo eum auferens,
ad subdiaconatus, Deo fauente, gradum prouexit; sta-
tuens eum inter alios sibi familiarem, & in patriarchio La-
teranensi ecclesiasticum peragentem officium. & hoc ho-
nore percepto vitam ipse duxit mirabilem.

Fit subdia-
conus.

Virtutes
eius.

Erat enim corpore castus, animo beneuolus, vultu hi-
laris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus,
mœrentium consolator, pupillorum, & inopum enutritor,
& vt generaliter comprehendam, omnium virtutum flo-
ribus adornatus. Quamobrem hic idem eminentissimus
præful in sanctæ Romanæ ecclesiæ seruitio perdurans, &
magis ac magis specialibus studiis vacans, a reuerendæ me-
moriæ Marino summo pontifice bene notus & amatus,
familiaribus eius potius est ascitus obsequiis. Huius nam-
que cum castimoniam, & prudentiam, atque fidelita-
tem idem Marinus summus papa per omnia intueretur,
ob suæ fidei & prudentiæ meritum manipularem sibi de-
legauit: & scita sua spiritali conuersatione, tituli beato-
rum quatuor Coronatorum presbyterum consecrauit, &
in nullo a se dum vixit separari permisit. Igitur defuncto
recordandæ memoriæ Hadriano papa, qui eidem beatif-
simo papæ Marino successerat, super fluuium * Scultiuna,

Fit presby-
ter cardini-
alis.

* ad Scul-
tium,
leg. Scul-
tium,
in Exi-
lia.

in villa, quæ Viulza cara nuncupatur: cuius tempore Romani ciues multa, tam locustarum deuastatione, quam & pluuiæ sterilitate seu famis inopia perpelli fuerant incommoda, credentes se posse huius venerabilis viri sanctitate releuari, per Dei misericordiam facto Conuentu sanctissimorum episcoporum & totius clericalis ordinis, nec non nobilium senatorum, & virorum illustrium cœtu, acclamantibus omnibus vna cum omnipopulo, & vtriusque sexus vulgi multitudine, dixerunt: Dominum Stephanum presbyterum Deo dignum omnes volumus, omnes quarimus, & petimus nobis præesse pontificem: quia procul dubio credimus eius sanctitate nos posse liberari ab imminentibus periculis. Tunc quia iam nominatus Hadrianus pontifex Romanus reliquerat Ioannem venerabilem Ticinensem episcopum, vt missum Caroli excellentissimi imperatoris pro tuitione Urbis, omnes cum eodem legato imperiali iuncti vnanimes venerunt ad domum, vbi cum patre ipse almicus Stephanus sancto meditabatur colloquio. Et ecce fractis foribus tenetur, & ducitur electus Dei pontifex ad eundem titulum sanctorum quatuor Coronatorum sibi creditum, reluctans plurimum, simul cum patre, acclamantibus vtrisque, & indignos se tanto honore profitentibus. Vbi & omnes sanctæ Romanæ ecclesiæ scholæ gaudentes coniunctæ eundem venerandum electum trahentes, ad Lateranensem Christo præduce perduxerunt palatium cum omni honore, & debita reuerentia. Prius quidem quam ad sacrum peruenerit palatium tanta pluuiarum calitus facta est inundatio, quæ sua vbertate terram a multo retro tempore aridam reficeret, vt aperto indicio Deus ostenderet tanti almigeri viri meritis, ac precibus omnibus se velle propitiari populis. Quo scilicet in eodem residente palatio gaudent vtriusque ordinis proceres, & debitam fidelitatem cœperunt exhibere. Adueniente autem proximo die dominico ad beati Petri apostolorum principis limina omnis Romana ecclesia eum honorabiliter detulit, vbi & consecratus pontifex Missarum ex more celebrauit solennia. Et rediens cum debito honore, ac honorificentia ad Lateranensem palatium suum ministerium miris cœpit decorare operibus.

Vnanimi
omnium
consensu
eligitur in
papam.

Innitus tra-
hitur ad ec-
clesiam.

Consecra-
tur ponti-
fex.

Vestiaría
& sacraria
reperit spo-
liata donis.

Deinde cum venerabilibus episcopis, & augustali legato, ac honorabili senatu per omnia sacri palatii perrexit vestiaría, quæ in tantum deuastata reperit, vt de sacratis vasis, quibus mensas tenere festis diebus pontifices conueuerant, paucissima inuenirentur: de reliquis vero opibus nihil omnino. Sed quid mirum si vestiariorum gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens de pluribus donariis, ac ecclesiarum ornamentis pene nihil inuenit? Crux tamen aurea illa famosissima quam Belisarius patricius ad honorem beati principis Petri apostolorum instituit, & plurimæ sacratissimorum altarium aureæ vestes cum reliquis preciosis ornamentis non defuerunt. Nam ideo ipse beatissimus papa coram tantis testibus ea requirere prouidit, vt cuncti cognoscerent nil tale suis temporibus esse attentatum.

Horrea
quoque &
cellaria.

Sua erogat
in pauperes.

Idcirco graui mœre affectus est, quia deuastatis vestiaríis, horrea simul, & cellaria vacua inuenta sunt, & quid erogaret clero & scholis non habebat, vel vnde captiuos redimeret, orphanos, & viduas pasceret in tam validissima, quæ instabat, fame carebat. Quid faceret? Conuersus ad patrias facultates, quas inclyti sui parentes possederant, abstulit, & larga dextra prout posset pauperibus erogauit: & ita Deo miserante factum est, vt famis inopiam suo studio mitigaret. Ministros itaque, & familiares hinc inde perquirens tales suis obsequiis aggregauit, qui & vitæ sanctitate, & fidei sinceritate, & sapientiæ doctrina, & eloquentiæ facunditate, & morum probitate polleant. Cum autem ad prandium sedebat, orphanos quotidie aduocabat, quos vt filios alebat. Conuocatos vero nobiles cum corporeis pasceret cibis, spiritualibus epulis refouebat. Et tantum Dei timorem mentis oculis ferebat, & in diuinis laudibus insistebat, vt ad eius prandium sacra per singulos dies lectio recitaretur. Missarum autem solennia quotidie celebrabat: nocte ac die orationi insistebat, & nunquam a psalmodiis cessabat, nisi cum utilitates populi ad se reclamantis perficere cupiebat, vt oppressos subleuaret, & afflictis subueniret. Intuitus vero insolentiam populi, & cæcitatem cordis sui, vaniloquis, & nefariis fabulis, & otiosis sermonibus vacantis in ecclesia; & audiens quosdam vulgante fama maleficiis, & incanta-

Orphanos
quotidie ad
mensam
vocat.

Lectio sacra
in mensa.

Quotidie
Missam ce-
lebrat.

tionibus vti, hac allocutione Missam celebrans populum admonuit: Filiationem vestram, carissimi commonemus, vt conuenientes ad sacratissimum Dei templum id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis. Si enim veraciter templum Dei esse creditis illud ad quod conuenitis, id procul dubio inibi operari debetis quod ei placet, cuius templum est ad quod conuenitis. Cum enim vbique Deus sit, in suo ramen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat debet expeti. Est igitur misericors Deus, ita tamen suam misericordiam vnicuique disponit impertiri, vt rogantibus eam tribuat, non ingratis; & tanto largiori illam tribuat vnicuique pietate, quanto maioribus gemitibus & ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus, sicut ipse dicit: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Est namque templum Dei locus orationis, sicut ipse alicubi dicit: *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus.* Et Psalmista: *Domum tuam decent sancta Domine.* Quippe si orationis domus est, id ibi oportet agere quod vocatur, id est orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare. Est quippe ibi specialiter respectus diuinus. Assistent ibi angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures perfectunt Domini sabaoth. Qua rogo fronte in sacratissimo Dei templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit? Nam si de omni verbo otioso in die iudicii ratio est reddenda; de his maxime reddetur ratio, & exigeretur vindicta, quæ in conspectu tantorum sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, spe veniam consequi de præteritis arbitratur delictis, qui non solum peccata sua negligit abluere, sed potius contendit augere? Pauescite illum, qui facto flagello de funiculis eiecit vendentes & ementes de templo. Remissius scilicet est vtiliter negotiari, quam inaniter & otiose confabulari. Cum conuenitis ad locum orationis, cum silentio stante, intento corde Deum deprecamini, vt orantis pro vobis sacerdotis vota suscipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem Dominum, & dicentem: *Cum statis ad orationem, dimittite si quid habetis aduersus alterum, vt &*

Concionatur ad populum.

Quid in templo agendum sit

Luce. 7.

Isa. 57. Psal. 17. Psal. 94.

Orationes cur in templo facilius exaudiantur?

Matth. 22.

Ioan. 2.

Matth. 6.

pater vester celestis dimittat vobis peccata vestra. Hæc meditantés, & diuina gratia inspirante facientes, & euangelicis & apostolicis documentis imbuti, impetrata ab omnipotenti Deo misericordia, cum fructu bonorum operum quasi lampadibus illuminati cum gaudio, & Christo representari, & cum sanctis coronari merebimini. De cetero carissimi nosse vos volumus, quod legem Dominus populo suo instituens Moyse teste intulit dicens: *Maleficum ne patiaris viuere.* In hac itaque vrbe, quod dolens dico, inueniuntur quidam qui non solum maleficos non impetunt, sed potius tuentur & fouent: per quos incantationibus quibusdam dæmones consulere non perhorrescunt, & diuinæ legis, & apostolicæ doctrinæ immemores, quæ intonat dicens: *Quæ participatio luci ad tenebras, aut conuentus Christo & Belial?* In hoc enim quod Christo contempto dæmones gentium more consulunt, Christianos se omnimodis non esse fatentur. Quod quam horribile, quamque sit profanum, vt Christo contempto dæmones Christianus adoret, vnusquisque perpendat, vt tale facinus fieri perhorrescat. Quamobrem quisquis deinceps tali contagio se polluere tentauerit, alienum viuifici fieri corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi Spiritus sancti iudicio, donec a tanta respiscat ignauia, iudicamus. Qui vero tam salubribus interdictis contemptor extiterit, & in eadem pestifera pertinacia perseverans respiscere neglexerit, perpetuum a Deo Patre, & Iesu Christo filio eius sit anathema. Cumque talis iste præstantissimus præsul existeret, & in his quæ diuino cultui conueniunt sine tenus perseveraret, tanta illi est diuinitus gratia concessa, vt quidquid habere potuerat, sacris donaret ecclesiis, captiuos redimeret, sollicitus existens pro salute omnium, quia cum fama sui nominis, atque actuum tam per orientales, quam occidentales partes diffamaretur, pene omnes ad eum accurrebant, vt eius benedictionem perciperent. Nam inter alia de donariis, quæ ecclesiis diuersis contulit, longum est enarrare; verum vt de multis pauca dicamus: Cum in basilica beati Petri apostolorum principis vbi sacro ipse corpore requiescit, cerneret nocturnis laudibus vix semel thymiamatis incensum offerri, instituit, vt per singulas lectiones, & responsoria adoleatur. Et in pergula ipsius ba-

Exod. 22.
Concio
papæ in
maleficos.

1. Cor. 6.

Christiani
non sunt
qui dæmo-
nes consu-
lunt.

Mira eius
liberalitas.

Dona ab
eo ecclesiis
relicta.

S. Petri.

filicæ ipse reuerendus papa ob amorem beati Petri nutritoris sui posuit cantharam auream vnam cum preciosis margaritis, & gemmis, ac smalto cum perpendiculo ad pendendum. Nec non & in eadem venerabili basilica sancti Petri obtulit regnum aureum vnum cum diuersis margaritis, spatham cum vagina de auro & gemmis, cum balteo vnam. Contulit etiam & in eadem basilica vestem vnam cum auro, & albis gemmis. Vela serica in circuitu altaris quatuor, sed & homilias beati Gregorii numero quadraginta. In qua supradicta venerabili basilica cum idem sanctissimus papa & omnium vitiorum fortissimus extirpator malam consuetudinem inuenisset, vt presbyteri, qui ibidem Domino sacrificium quotidie offerebant, omni anno vnam mulctam consuetudinaliter darent, (quam consuetudinem sanctæ memoriæ dominus Marinus papa antecessor eius fregerat, sed subreptionibus quorundam hominum tempore Hadriani III. papæ repullulauerat,) sub forti obtestatione præcepit, vt nullus vnquam ab eis non solum hoc, verum etiam aliquod tributum acciperet. Sed cum omni honore, sicut sacerdotes oportet, suū peragere officium eis liceret. Idem autem sacratissimus præsul pro S. Mariæ.

sui sempiterna memoria cum conspiceret nocturnis vigiliis in ecclesia maiori, quæ vocatur sanctæ & superexaltatæ Dei genitricis Mariæ Ad præsepe, lampadas consuetudinarie deesse, gabathas argenteas cum lampadibus obtulit, & continuatim vigiliis ardere præcepit. Nec non idem mirissimus pontifex fecit in eadem prædicta basilica vela quatuor in circuitu altaris maioris, quorum duo sunt de serico pigacio, tertium pauonatile, quartum de Alexandrino ornatum totum in circuitu de olouero. Denique sæpedi- S. Pauli.

ctus a Deo protectus sanctissimus papa, ob retributionem animæ suæ fecit in ecclesia beati Pauli apostoli doctoris gentium regnum ex auro purissimo vnum cum diuersis gemmis albis, prasinis, hyacinthinis, & in medio regni cruciculam auream pendentem vnam cum catenulis suis, & vestem sericam supra altare maius vnam cum auro, & gemmis. Fecit etiam in eadem basilica egregii Doctoris gentium belotera quatuor, ex quibus vnum auro textum. Præfatus vero venerabilis & præclarus pontifex fecit in ecclesia Domini Saluatoris, quæ Constantiniana vocatur, Constantiniana.

vestem supra altare maius auro textam vnam cum diuersis margaritis. Pari modo & in eadem basilica contulit iam factus reuerendissimus præful vela serica de blattin byzantea quatuor in circuitu altaris maioris, duo ex his aquilata, & duo de basilisci ornata in circuitu de olouero: & per singulos arcus presbyterii vela serica leonata nonaginta: & pro futuro animæ suæ remedio contulit ibidem cantharam exauratam vnam, lib. commen. 1. prophetarum lib. 1. gestarum rerum lib. 2. Cum autem esset sollicitus pro statu ecclesiarum Dei, ne suis temporibus, quæ in ruinis positæ erant caderent, ecclesiam beatorum apostolorum Iacobi & Philippi, quæ nimio senio consumpta ruinæ proxima erat, a fundamento renouauit. Quam collato calice & patena exaurata, nomine Græcis Latinisque literis inscripto, adornauit. Et insuper pro sua perpetua salute contulit in eadem basilica apostolorum cortinam lineam vnam, velotera serica tria in circuitu altaris. Et oratorio sancti Thomæ sito in monasterio sancti Andreae apostoli iuxta basilicam apostolorum fecit vestem vnam. Ipse vero egregius, & prudentissimus papa cum sciret basilicam sanctorum quatuor Coronatorum, in qua sacerdotiiungebatur officio, modico vti ornatu; pro reuerentia & amore eorumdem sanctorum obtulit in ea crucem auream super altare cum gemmis, & smalto: & sagulum ad pendendum in regno, & cerostata vestita de argento paria duo. Atque præ nimio amore illorum idem benignissimus papa contulit ibidem cantharam exauratam vnam, Salomonem vnum, regnum aureum vnum cum gemmis preciosissimis, & vestem vnam cum auro & gemmis albis: atque sermonum librum vnum, gestorum librum vnum, euangeliorum librum vnum cum epistolis. Hic ipse præcipuus præful magis & magis diuino zelo ductus in eorumdem sanctorum motus amore fecit in basilica eorum canistra de argento purissimo miræ pulcritudinis operata numero quindécim pensantia simul libras triginta, & tribuit codicem vnum beati Ioannis Chrysostomi. Fecit autem idem almissimus papa in titulo sancti Marcelli martyris atque pontificis canistrum argenteum vnum pensans libras tres, crucem de auro vnam, vela linea sex & viginti, cortinam lineam vnam, simulque & historiarum librum vnum, ho-

miliis

SS. Iacobi
& Philippi.

S. Thomæ.

SS. Coronatorum.

S. Marcelli.

milias sancti Gregorii numero viginti. Misit quoque in ecclesiam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ sitam in Manturiano, librum regum vnum, vestem fericam super altare vnam. Iam memoratus mitissimus papa fecit in monasterio ad cliuum Scauri, crucem auream vnam; nec non omnium ecclesiarum sollicitudinem habens ipse piissimus pater contulit in monasterio sancti Siluestri in monte Soracte thymiamaterium de argento vnum, cantullam argenteam vnam. Et magis ac magis diuino amore succensus fecit in titulo sanctæ Pudentianæ sermonum librum vnum. Et in titulo beatæ Anastasiæ sermonum & epistolarum librum vnum. Et in ecclesia quæ vocatur Ierusalem in suburbio obtulit librum regum, & Salomonis vnum. Et reuerentiam beati Gregorii præcessoris sui præ oculis cordis habens tribuit idem summus pontifex in hospitali ipsius beati Gregorii in porticu beati Petri apostoli sermonum sanctorum librum vnum. Et in schola cantorum, quæ pridem orphanotrophium vocabatur, heptateuchum vnum. Idem autem elegantissimus præsul, atque fortissimus rectæ fidei prædicator in ecclesiam Rauennatensem auri libras duodecim, argenti libras. . . . remisit pro animæ suæ remedio, quæ quorundam subreptionibus inde fuerant ablata. Similiter & in ecclesia Imoleni auri libras septem, argenti libras. . . . ablatas restituit. Item Deum præ oculis habens in Bononiensi ecclesia paternam de argento vnam æque reddidit. Imo & pro perenni mercede in ecclesia, alias sanctorum reliquias per diuersos cardinales titulos, alias etiam circumquaque per diuersa largitus est monasteria, vbi plurimis coruscant miraculis: maximam vero partem digna honorificentia collocauit apud ecclesiam, quæ Ad apostolos dicitur. Hanc senio consumptam & ruinæ proximam isdem sanctissimus papa a fundamentis renouauit, & plurimis donariis composuit & ornamentis. Erat quippe omnis eius intentio, vt ea semper ageret, quæ Deo sunt acceptabilia. Cum clades itaque locustarum, quæ prædecessoris sui Hadriani videlicet tempore totam patriam pene consumpsérat male multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia repleuissent, misertus idem sanctissimus papa afflictò populo, primùm quidem diuulgauit, vt si quis de eis vnum sextarium caperet, & sibi

Ad cliuum
Scauri.

S. Siluestri.

S. Pudentianæ.

S. Crucis.

Externis
ecclesiis
dona dedit.

Apostolorum
ecclesiam
restaurat.

Mira ratio
locustarum
plagam auertendi.

Concil. Tom. 24.

V u u

attulisset, quinque aut sex denarios ab ea perciperet. Hoc autem populi audientes cœperunt huc atque illuc discurre, easque capere, & misericordissimo patri ad emendum portare. Sed cum illas tali argumento delere nequiuisset, ad Domini misericordiam confugiens, in oratorium beati Gregorii ubi eius lectus habetur, iuxta ecclesiam principis apostolorum veniens, sese cum lacrymis in orationem dedit, cumque diutius oraret, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, mansionariis præcepit, dicens: Tollite & singulis distribuite, monentes ut in nomine Domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per fata & vineas, petentes diuinum sibi suffragium & subsidium. Quo factò tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut ubicumque ipsa aqua conspersa est, nulla penitus locusta remaneret. Hæc circumquaque vicini audientes ad Urbem confluunt, subueniri sibi deposcunt, omnem teram in pulueris modum locustis coopertam clamitant, quos piissimus papa benigne commonuit, eos de cælo auxilium petere debere contra flagellum imminens, & mox læta. *Cetera desiderantur.*

NOTA.

Papa aqua
a se benedi-
cta iubet as-
pergi agros
ad plagam
locustarum
auertendâ.

Stephanus
V. Hadria-
no III. suc-
cessit quan-
do?

Miraculo-
sa Stephani
electio.

Epistola Ba-
silii ad Ha-
drianum, &
Stephani
ad Basilium,
cuius argu-
menti?

^a *Stephanus.*] Anno Redemptoris DCCCLXXXV. imperantibus Carolo tertio, & Basilio, & post eum Leone, in locum Hadriani III. omnium votis surrogatus est Stephanus eius nominis quintus, quem alii sextum vocant, quippe qui Stephanum quemdam, quem paucis diebus sedem pontificiam tenuisse dicunt, inter Romanos pontifices annumerent. Quomodo post expilatum tempore interregni patriarchium sedis apostolicæ, de paterna substantia pauperibus & ecclesiis intra & extra Urbem subuenerit, & qua ratione idem a Deo in sui electione pluuiam impetrauerit, locustas pariter ingruentes aqua benedicta dissipauerit, refert Anastasius supra, sicut etiam sermonem illum, quem habuit contra eos, qui in templis fabulantur, & ab orationibus vacant, aliosque qui maleficiis & incantationibus dediti erant. Eas Basilii imperatoris literas, quas ipse plenas blasphemis & conuitiis propter Photium a Marino & Hadriano excommunicatum scripserat ad Hadrianum, post obitum Hadriani successor illius Stephanus accepit & legit: perstantque exemplo suorum prædecessorum in eiusdem Photii detestatione & execratione, rescripsit ad imperatorem epistolam, qua eum redarguit, quod pro Photio homine penitus laico iustaque de causa excommunicato tantopere defendendo, Marinum pontificem, totamque Romanam ecclesiam contumeliis afficeret. Reddita est epistola post obitum Basilii filio & successoris eiusdem Leo-

ni : quam cum ille accepisset, Photium tanto lubentius & citius e throno depositum in monasterium Armenorum relegauit, eique Stephanum germanum suum surrogari curauit, quanto Photius de suo cognato in imperatorem eligendo cum Santabereno peius consilium iniuerat. Cumque Stephanus in locum Photii substituendus a Photio ordinatus esset, Stylianus episcopus Neocæsariensis cum Leone imp. per literas Stephanum pontificem Romanum rogarunt, vt hac in re apostolica auctoritate cum designato Stephano patriarcha Constantinopoleos Photii successore dispensare non dedignetur: quam gratiam a sede apostolica post causæ diligentem cognitionem impetratam esse, communio vtriusque sedis deinceps vsurpata & frequentata satis aperte testari videtur. Eiectus sub hoc pontifice & relegatus Photius, quando obierit, & quomodo diem extremum clausit, dolo schismaticorum & sectariorum eiusdem Photii in obscurum est. Nam cum scirent omnibus illis monumentis, quæ pro Ignatio aduersus Photium posteritati relicta erant, magistrum suum valde perstringi, puderetque eos talem schismatis auctorem sequi, ea omnia, quæ inter Ignatium & Photium transacta erant, silentio obruenda esse non tantum putarunt, verum etiam anathematis sententia, quæ extat sessione 6. Concilii Florentini, de facto execrati fuerunt. Hunc pontificem diuinitus admonitum fuisse, vt Diodori, Mariani aliorumque martyrum sub Stephano I. occisorum corpora quæreret, inuentaque in Urbem transferret, refert Surius tom. 1. die 17. Ianuarii.

Leo Photium depositum, & Stephanum germanum suum eidem surrogauit.

Cur de obitu Photii nihil constet?

Huius temporibus Parisiorum ciuitas Northmannorum obsidione pressa, precibus Dei genitricis cui dedicata est, & sancti Germani, aliorumque sanctorum eius vrbis patronorum liberata fuit. Carolus Crassus iam ante a suis regno ad filium Carolomanni Arnulphum delato exutus, & in Conuentu Triburiensi iusto Dei iudicio plane repudiatus, utpote qui ex leuibus suspicionibus tantum Augustam Richardam adhuc virginem intactam, prout per iuramentum in prædicto Conuentu deposuerat, contra ius & æquitatem omnem repudiasset, post summam paupertatem, victumque ab Arnulpho, regni successore, suppliciter quæsitum, moritur anno imperii sui quarto, qui est Christi redemptoris 888. Post obitum eius scissum est imperium, successitque illi in imperio Vuido dux Spoletinus a Formoso pontifice anno Domini 891. coronatus. Errant igitur recentiores chronographi, qui in serie occidentalium imperatorum eodem anno, quo Carolus Crassus mortuus ponitur, Arnulphum collocant, quem nemo veterum imperatorem nominauit, nisi postquam octauo abhinc anno Romæ coronationem per vim & metum a Formoso papa extorsisset.

Res sub Stephano gesta.

Quis fuerit successor Caroli? Error chronographorum.

Post obitum Stephani Constantinopolitani patriarchæ, qui Leonis imperatoris frater erat, secundo legatio ab oriente missa est ad Stephanum papam cum literis Styliani, quibus post mortem Stephani papæ Romani acceptis, successor eius Formosus respondit. Nam cum Stephanus papa sex annis sedisset, mortuus est indictione 9. an-

Concil. Tom. 24.

Vuu ij

no Domini 891. Sepultusque est in basilica sancti Petri, vt ex eius epitaphio constat. Ab hoc sanctissimo pontifice maxime alienum est sacrilegum illud factum Sergii papæ schismatici, quod Leo Ostiensis adscribit ei imprudenter, nisi per Stephanum, huius nominis sextum intelligat.

• EPISTOLA I.
STEPHANI PAPÆ V.
AD BASILIVM IMPERATOREM.

Eum ob defensionem Photii redarguit, & contumelias Marino pontifici obiectas refellit.

Extat supra
in fine Cō-
cilii Con-
stantinop.
IV. diuersæ
translatio-
nis.

LITERAS serenitatis vestræ ad Hadrianum prædecesso-
rem nostrum missas accepimus: & mirati sumus ma-
gnificentiam tuam quomodo talia scribere potuisti, cum
sis iustitiæ æquilibrium, præsertim cum recte nouerit pia
potentia tua, quod manui regiæ non subiiciatur sacerdoti-
lis & apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi
imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen
mundanarum & ciuiliū tantum curam gerere debes:
quod etiam precamur vt ad multos annos præstare valeas.
Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus
præesse, ita etiam nos per principem Petrum spiritualibus
rebus Deus præfecit. Accipe, quæso te, benigna fronte
quæ sequuntur. Datum est tibi curare, vt tyrannorum im-
pietatem & feritatem gladio potentia concidas, vt iusti-
tiam ministros subditis tuis, vt leges condas, vt terra mari-
que militares copias disponas. Hæc est præcipua cura po-
tentia & principatus tui. Gregis cura vero nobis commissa
est tanto præstantior, quantum distant a cælo ea quæ in
terris sunt. Audi Dominum dicentem Petro: *Tu es Petrus,*
& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. De potestate vero & impe-
rio tuo quid ait? *Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere.* Et iterum de ministerio nobis com-
missio ait: *Tibi dabo clauēs regni cælorū, & quæ sequuntur.* Oro
itaque pietatem tuam, vt inhæreas decretis principum apo-
stolorum, vt nomen eorum honores, & dignitatem. Insti-
tutio enim & sacerdotium omnium quæ in orbe sunt eccle-
siarū a principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos

Matth. 18.

Ibid. 10.

Matth. 16.
Redarguit
papa impe-
ratorem.

fincerissima & purissima doctrina monemus omnes & docemus. Regnum vero tuum non minimarum rerum argumento ad ea quæ præstantiora sunt scrutanda se erigat, sed animaduertat, qua auctoritate hæc facere aggreditur. Ille quidem qui aduersus sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumeliis maculauit: aduersus Dominum nostrum Iesum Christum, qui nutu suo vniuersum orbem regit, blasphemias effutire procul dubio non dubitauit. Quis, inquam, ille fuit qui aduersus immaculatum eius sponsum & sacerdotem, & aduersus matrem omnium ecclesiarum talia dicere est ausus? Decipitur profecto quicumque putat, quod discipulus sit supra magistrum, & Matth. 10. seruus supra dominum suum. Obstupescimus sane, dum tuam perfectam & illustratam prudentiam seductam videmus, vt talia contra sanctum illum virum cogitauerit. Qualis enim ille fuerit, licet nos silentio prætereamus, lapides isti clamabunt: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus Deum iniquitatem, vel aduersus iustum.* Psal. 30. Si ouis Dei existis (quod in votis habemus) ne transgrediaris limites principum apostolorum. Dic quæso te: Quis te seduxit, vt pontificem œcumenicum comico more scommatibus lacefferes, & sacram Romanorum ecclesiam maledictis incefferes, cui cum omni veneratione subditus esse debes? An ignoras, quod hæc omnium ecclesiarum princeps existit? Quis te pontificum iudicem constituit, quorum sacris doctrinis dirigi debes, & a quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis sacrum illud elogium, quod ait: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari?* Psal. 104. Hæc de omnibus sacerdotibus dicta sunt. Deo te æqualem facis, qui eius angelos iudicare audes. Dicit enim propheta: *Labia sacerdotis loquentur iudicium, & legem exquirent de ore eius: angelus enim est Domini omnipotentis.* Malach. 2. Quomodo iudicabis sacerdotes, qui solius Dei sententiæ subiiciuntur, & qui soli facultatem habent ligandi atque soluendi? Vide ad quodnam profundum te præcipitem dedisti. Audio in te, magnificentissime imperator, laudari mansuetudinem, & patientiam Iob: quapropter mirari satis non possum, quomodo ita turpiter lapsus sis. Scripsisti illum non esse episcopum. Quomodo id nosti? Si vero id ignoras, quomodo ita præceps in eum sententiam tulisti? Magna qui-

Quæ ob-
iiciuntur
in Mari-
num di-
luuntur.

dem est pontificum potentia. Non te latent res beati Ambrosii, & quid ipse fecerit aduersus Theodosium imperatorem. Quicumque dicunt, Marinum fuisse antea episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam sedem transferri, ostendant illi id aperte. Scito dilecte & omni honore digne imperator, quod licet illi impedimento fuisset quod obiicitur de Canone, cum tamen id nunquam fuerit: multitudo tamen sanctorum patrum & illorum auctoritas & iudicium potuit illum constituere in primo gradu. Et diuina prouidentia prænoscens ecclesiæ Dei vtilitatem, in sede principis apostolorum Petri illum collocauit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento Theologus? nonne Nazianzo translatus est, & Meletius Sebaste Antiochiam, & Dositheus Seleucia Tarsum Ciliciæ, & Reuerentius Archiphœnice Tyrum, Ioannes Gordolia Proconnesum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander Cappadocia Hierapolim? & multi alii diuersis in locis translati sunt e suis sedibus ad alienas? Dicat celsitudo tua, quibus accusatoribus, & quibus testibus affirmantibus, beatum Marinum fecisse quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicæna Synodo quod beatus Siluester papa proclamauerit per legatos, præsentem ibidem sancto Constantino; Ut prima sedes a nemine iudicaretur? Quid deliquit sancta Romanorum ecclesia, ut aduersus eam linguam tuam vibrare, & concitare seductor iste induxerit? Num iuxta antiquum morem, de Synodo Constantinopoli habenda, ad te literas non dedit? Num pro eadem Synodo curam non gessit? Peto a te: Cuinam scriberet Romanorum ecclesia? laico scilicet Photio? Si enim haberes patriarcham, frequentius nostra ecclesia illum literis visitaret. Sed hei mihi, quod ista gloriosa & a Deo custodita ciuitas Constantinopolis, pastoris solatio est orbata, & sola regia tua potentia illustratur! & nisi amor quo te prosequimur cohibuisset ut ferremus iniuriam nostræ ecclesiæ illatam, coacti fuissetus aduersus præuaricatorem Photium, qui contra nos impura eoumuit verba, grauiores pœnas infligere quam prædecessores nostri. Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam: te enim in vniuerso orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostram defensionem, & Marini maiorem glo-

Multa in
Photium
Stephanus
papa.

riam, qui eadem sensit & sapuit cum prædecessore & doctore nostro sanctissimo papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere quæ illi ante visa fuerant, in maximum deuenit
 * apud vos contemptum & ludibrium diuinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis qui aliena sentiebant, & quæ ipse coram tua maiestate synodice gesserat, dissoluere & annullare ac irrita reddere, propterea triginta diebus carcere fuit detentus: id sibi gloriæ potius tribuens quam contumeliæ, pro veritate pati. Sed, o iunior Constantine, quomodo non es illum magnum imitatus Constantinum, qui sacerdotum libellos acceptos in ignem proiecit, affirmans se non esse dignum, ut sacerdotes iudicaret? Te itaque monemus, spiritualis noster fili, ne aduersus sanctam Romanam ecclesiam insurgas. Cum vero audiuerimus, quod ex semine tuo filium ad sacerdotium dedicasses, magno hac de causa repleti sumus gaudio. Oramus etiam ut Chelandrium munias, & omnia quæ in eo sunt necessaria adhibeas a mense videlicet Aprili ad Septembrem mensem; mittas præterea qui mœnia nostra custodiant ab Agarenorum incursionibus. Reliqua vero silentio præterimus, cum neque oleum sit nobis pro luminaribus ecclesiæ iuxta debitum Dei honorem. Cui gloria fit in sæcula sæculorum. Amen.

Marinus
acerrimus
defensor
octauæ
Synodi.

Commen-
dat Roma-
nam vr-
bem.

NOTA.

* *Epistola.*] In codice Græco post hanc epistolam Stephani papæ hæc subiiciuntur: *Hæc epistola ad Basilium imperatorem missa fuit, sed illam accepit Leo eius filius, cum iam pater vita defunctus esset. Qui cum epistola vim intellexisset, & omnia Photii facinora cognouisset, quamprimum reuocauit omnes sacerdotes veritatis, qui a Photio anathemate damnato graues passi fuerant persecutiones; & eiecto tyranno & inuasore Photio, fratrem suum germanum introduxit, aduocato etiam Styliano Neocæsarea metropolitano, cognomento Mapa, & aliis eius in persecutione commilitonibus, episcopis, præpositis, presbyteris, diaconis, & aliis pietatis sectatoribus, ait illis: Nostrum ex Deo imperium perpensa veritate, iniquum illum hominem Photium a sede patriarchali eiecit, & vestram persecutionem sedauit. Nec villo pacto cogam quemquam vestrum, ut inuiti cum illo communicetis; quin potius oro pietatem vestram, ut communicetis cum fratre meo, & fiat vnum ouile. Sin autem inconsultis Romanis, qui Photium damnauerunt, nolueritis fratri meo conuenire, quoniam videlicet a Photio diaconus fuit ordinatus, venite, scribamus & mittamus vna Romam ad pontificem, ut dispenset absolutionem anathematis iis qui a Photio fuerunt ordinati. Scripsit igitur propterea*

*imperator epistolam ad pontificem, similiter etiam Mapa metropolita
Cæsarea & eius socii. Epistola vero metropolitæ ita se habet.*

EPISTOLA STYLIANI
AD STEPHANVM PAPAM V.

*Sanctissimo ac beatissimo Stephano, domino ac œcumenico papæ Sty-
lianus episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ prouinciæ seruus ser-
uorum Dei, & qui mecum sunt episcopi, nec non omnes episcopi
& presbyteri & diaconi sanctissimæ ecclesiæ Constantinopoli-
tanæ, & omnes præpositi per occidentem & orientem consti-
tuti, & presbyteri monachi quietam vitam agentes.*

Exat supra
in fine
Cœcilii IV.
Constanti-
nopolitani
sub alia ver-
sione.

DEI catholica & apostolica ecclesia semper præualet
aduersus eos qui illi bellum concitant. Scriptum est
enim, quod Dominus imbecilles reddit eius hostes. Et qui
aduersus ecclesiam bellum gerit, Dei se hostem constituit.
Variæ igitur, o sacrum & venerandum caput, humani ge-
neris hostis sunt fraudes, diuersis temporibus alios aliis ra-
tionibus a recta via ad vias obliquas homines subtrahentis.
Hoc vero præcipue in Dei ecclesia ille facere consuevit,
vbi recta quidem agere, laude dignum est, sicut econtra a
recto recedere, formidabile existit. Cum itaque in Dei ec-
clesia multa iniquitatis vasa inuenisset, venerationem quæ
sacris imaginibus exhibetur, tum Christi, tum purissimæ
eius matris & seruorum eius, ab ecclesiastica disciplina
remouere conatus est; sed diuina fauente gratia, nostro-
rum piorum imperatorum auxilio, nostra ecclesia suum
decorem nunc recepit, & abominabilem illum errorem
hæresis circa imagines procul abiecit. Quid vero dæmon
bonorum operum osor? Nouam iterum concitat tempe-
statem. Iterum enim Gregorium suscitât cognomento Af-
bestam, id est, inextinguibilem, & Eulapium, & Petrum,
& eorum socios, ac per eos Christi membra abinuicem di-
uellere, & a sanctissimo Ignatio patriarcha abalienare non
dubitauit. Hos itaque patriarcha sapius synodice aduoca-
tos, & qua decebat humanitate tractans, vt nullo pacto a
Dei ecclesia segregati, præda dæmonis fierent, efficere
non potuit. Quapropter priuatione tandem & anathe-
mate ipsos damnauit. Illi vero literas miserunt, & legatos
ad sanctissimum tunc temporis pontificem Romanum
beatum

B. Leonem, petentes vt ab ipso, quasi iniuriam passi, vindicarentur. Pontifex vero ad patriarcham Ignatium scripsit, rogans eum, vt aliquem mitteret suo nomine in urbem Romam, vt per eum discere posset, quomodo res se haberet de schismaticis illis. Quod patriarcha Ignatius facere non tardauit, sed misit Lazarum monachum & confessorem vna cum literis, qui rem omnem de Gregorio recte nouerat, & pontificem de singulis edocuit. Quapropter pontifex & ipse damnauit eodem modo quos Ignatius damnauerat, tamquam schismaticos. Sed beato papa Leone vita functo, iterum illi Benedicto papæ successori molestias intulerunt. At Benedictus sanctissimus, re iterum diligenter examinata, eorum damnationem cum Ignatio confirmauit. Qui deinde Photio cuidam schismatico ab ecclesia Constantinopolitana, & in dignitate constituto inhaerentes, & eius fauore vrentes apud Bardam principem & auunculum Michaelis imperatoris (qui & ipse arguebatur a patriarcha Ignatio turpis incestus gratia) Ignatium ipsum e patriarchali sede violenter eiiciunt, multas calumnias aduersus eum fingentes, vt imperatorem ipsum ita subdlexerint, vt Photium pro Ignatio in patriarchali sede collocarit, a schismaticis electum, & a damnato Gregorio eo die ordinatum. Quando pontifices ipsi, & insigniores ex sacerdotibus, & quicumque in ecclesia potiores erant, segregati sunt propter illegitimam intrusionem schismatici Photii, inter quos etiam ipse fui minimus omnium. Deinde vero multos ille ad se conuulsit, alios quidem perterrefaciens, alios vero male tractans, alios muneribus decipiens. Chirographum præterea propria scripsit manu, nunquam se aduersus Ignatium, nec eos qui ab illo fuerant ordinati aliquid mali tentaturum. Nec deinde magnum temporis spatium intercessit, & nulla habita ratione proprii chirographi, in celebri templo sanctorum apostolorum Conciliabulo congregato, depositione & anathemate patriarcham Ignatium damnat moechus ipse & adulter Photius. Deinde vero suam iniquitatem ex superabundanti confirmare volens, ad vestram urbem Romam, & tunc temporis pontificem Nicolaum misit episcopos cum literis imperatoris, & petiit ab illo legatos mitti ad Constantinopolitanam ecclesiam,

qui perpenderent quæ ipse contra Ignatium gesserat: quod factum est. Missi enim sunt Rhadoaldus & Zacharias cum commendatitiis literis ad Michaelem imperatorem & Photium. Legati itaque cum Constantinopolim venissent, congregata est Synodus, & legati subducti quidem a Photio muneribus, minis vero ab imperatore, nihil fecerunt eorum quæ ipsis fuerant mandata, sed potius Ignatium damnarunt, Photium vero contra, præter pontificis mandatum, in patriarchali sede confirmarunt; & ita ad apostolicam sedem cum literis imperatoris & Photii sunt reuersi. Quando scilicet zelo quodam motus monachus ille Theognostus, qui & archimandrita, clam etiam ipse sub mentita laicali veste Romam proficiscitur, & sanctissimum Nicolaum papam de his omnibus docet, quæ aduersus Ignatium gesta fuerant. Quapropter pontifex congregata Synodo, suos legatos Rhadoaldum & Zachariam damnauit, quod fecissent præter illa quæ sibi fuerant demandata. Aliam item Synodum congregat, & Photium mœchum & inuiaforem anathemate damnat, Ignatium vero contra, patriarcham Constantinopolitanum literis suis declarat, nec non quæcumque gesta fuerant, tum Michaeli imperatori, tum Photio aperte significauit. Cum vero post Michaelem ad Basilium imperii sceptrum deuenisset, diuino zelo patriarcha motus ille, acta quæ in vrbe Roma a papa Nicolao gesta sunt, de Photii eiectione, & de Ignatii restitutione confirmauit, & Ignatium ab exilio reuocauit, & Photium a patriarchali sede eiecit, & ab vtraque parte, Ignatii videlicet & Photii legatos, vna cum literis suis ad apostolicam sedem destinauit, mittens præterea figmentum illud Photii Pseudosynodi aduersus Nicolaum papam; qui inuentus est a legatis vita functus. Hadrianus vero Nicolao cum successisset, ostensa sunt illi quæ missa fuerant. Iterum igitur Hadrianus papa localem Synodum congregauit; & eadem quæ beatus papa Nicolaus, aduersus Photiũ decreuit. Et cum elegisset pios viros, Constantinopolim misit, & œcumenica Synodo congregata, præsentibus etiam legatis orientalium sedium, iterum sententia promulgatur aduersus Photium, quod vt mœchus & adulter ecclesiam Constantinopolitanam inuaserit. Quapropter deponitur, & anathemate damnatur, & Ignatius

restituitur. Nec tamen propterea Photius quietem habuit, sed iniquos homines & maleficos & deceptores congregauit, & calumnias falsas fingendo non destitit, quousque beatissimum Ignatium vitam misere relinquere procurauit. Neque hoc solum, sed etiam dum iam Ignatius in propria sede resideret, Photius ab œcumenica Synodo damnatus & anathematizatus in Constantinopolitana diœcesi varias habuit ordinationes. Quin etiam cum militari manu, sicut quondam impius ille Macedonius, in sanctam Dei ecclesiam profiliit, dum nos comministri sacrum in celebri templo sanctæ Sophiæ faceremus. Qui cum vidissemus Photium ita impudenter in Dei tabernaculum ingredientem, relicto imperfecto sacro aufugimus. Photius vero sacerdotes Domini & comministros nostros magna vi & multis verberibus vel inuitos ad se conuulsit. Ego vero & qui mecum erant episcopi, presbyteri & diaconi, & omnes per occidentem & orientem præpositi monachorum & quietam vitam agentes, infinitus videlicet numerus, diuina gratia inconcussi permansimus, quamuis neque antea neque postea Photio communicauimus: qui cum illegitime (vt dictum est) ecclesiam inuasisset, dubitationem multis iniecit dicentibus, quod hunc Photium videlicet non recipimus, nisi illum confirmauerit Romæ apostolica sedes: quod cum ille didicisset, simpliciores ita decipit. Paulum enim & Eugenium episcopos a Ioanne papa ad Ignatium patriarcham missos, vt cum illo de rebus Bulgarorum prouinciæ agerent. Qui cum inuenissent quod beatus Ignatius iam demortuus erat, Photius illos muneribus corruptos decipit, & imperatoris minis coegit, vt dicerent coram omni clero & episcopis, & reliquo populo, quod contra Ignatium a Ioanne papa essent missi, vt illum anathemate damnarent, & Photium patriarcham promulgarent. quapropter plerique comministrorum nostrorum sunt decepti. Ille vero etiam vestram apostolicam sedem fraudibus eludere volens, literas composuit nomine Ignatii patriarchæ & comministrorum eius, quibus orabat beatitudinem apostolicæ sedis, vt Photium reciperet. & has literas ad nos miserunt. quapropter Petrus presbyter a vobis in urbem regiam cum venisset cum Paulo & Eugenio, Photium ab apostolica sede receptum promulgarunt.

Hinc capta occasione etiam politicas curas in se suscepit, & ita regiam potestatem vsurpare contendebat. Abbatulum enim quemdam ignobilem & humilem atque maleficum sibi familiaritate coniunxit, cuius pater Santabareus cognomento dicebatur, Manichæus quidem secta, & veneficus professione, qui cum agnitus esset, & capi dubitaret, ad Bulgaros confugit, adhuc impietatis morbo laborantes, vbi ille Christianorum fidei abrenuntiavit. Huius itaque filius Abbatulus prædictus Constantinopoli adhuc iuuenis manens, traditur Studitarum monasterio a Barda Cæsare, & ibi alitur. Cum vero ad perfectam venisset aetatem, & omnem iniquitatem calleret, adhæret Photio suo simili, quem Photius sacerdotem ordinavit in priore illa sua intrusionem ad patriarchalem dignitatem. Cum vero Photius a patriarchali sede fuisset eiectus, post œcumenicæ Synodi promulgationem, Santabareni filius prædictus Abbatulus suggerit Photio vt aliquem inueniret domesticorum imperatoris: affirmabat enim per hunc iterum Photium se posse restituere. Inuentus itaque Nicetas cognomento Plorans, qui multis muneribus deceptus, quæ a Santabareno venefico magica pocula & esculenta fuerant parata apponens imperatori, fecit, vt Photius ille exorsus, amicus videretur, & sanctissimo Ignatio patriarchalem sedem tenente, Photium ad palatium reuocauit ex eo loco qui Augustus dicitur, & in palatio contubernalem Photium habebat, vt Photius magis esset patriarcha quam Ignatius ipse, licet in patriarchali sede ipse Ignatius resideret. Quapropter, vt supra diximus, ordinationes habebat, & ita imperatorem aduersus Ignatium irritauit vt ei vitam male abstulerit. Qui cum ita male fuisset mortuus, statim Photius eiusdem sedem occupauit, secum habens Santabarenum illum, quem imperatori familiarissimum reddidit, & Euchaitarum episcopum constituit; insignia etiam monasteria in aliis dioccesibus constituta & aliis episcopis subdita, ab illis abstulit, eaque tradita Santabareno, vt illa Euchaitarum ecclesiæ aggregarentur, & episcopi in illis a Santabareno ordinarentur. Santabareus præterea iste vna cum Photio aduersus piissimum imperatorem nostrum Leonem, qui nunc rerum potitur, malum consilium iniit, & eius patrem Basilium aduersus eum irritant, affir-

mantes Leonem insidiari & aduersari paternæ voluntati. Cum vero insanabili morbo laboraret Basilius, & iam morti propinquus esset, putauerunt quod illo volente, & filio iam procul absente, facile ipsi imperium obtinerent, vt per se, vel per alium quem vellent, illud administrarent. Sed Dei prouidentia non permisit eorum iniquitatem impleri. Licet enim Leo filius a patre Basilio inter priuatos homines haberetur, quinimo carcere detineretur custoditus, post patris obitum ad imperiale solium euectus est. Qui Photium quamprimum eiecit, tamquam multarum iniquitatum auctorem. Nos vero qui illi non obediemus, & praterea multa mala passi sumus, illis miseriis idem Leo imperator liberauit. Quoniam vero scimus, quod a vestra apostolica sede corrigi, & iuxta Canones corripri debemus: hac de causa humilibus his nostris literis tuam oramus venerabilitatem, vt misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sine rationabili causa Photii ordinationem recepit, vt ne qui apostolicæ fedis legatos Rhadoaldum & Zachariam, qui initio Photium confirmarunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium & Paulum, qui secunda vice cum Photio communicarunt, exceptit, vna cum Photio interitu damnetur, nec alius infinitus numerus ab ecclesia pellatur; hoc enim facere consuevit ecclesia. Oecumenica enim Synodus quarta Dioscorum iniquitatis principem & auctorem, Flauiani interfectorem, beati videlicet patriarchæ Constantinopolitani, damnauit & homicidam & hæreticum, vt qui ausus est sanctissimo papæ Leoni excommunicationem irrogare: eos vero qui a Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cum tamen pietatis sectatores fuissent, per pœnitentiam illos suscepit. Nicæna etiam septima Synodus auctores hæresis Iconomachorum damnauit, illorum vero sequaces per pœnitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tamquam ab initio schismaticum, & a schismaticis illegitime ordinatum & propter alia multa, quæ operatus est mala, expellere: eos vero qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, vt ecclesiæ Constantinopolitanæ pax & tranquillitas ita restituatur, & non alii quidem Apollo, alii Cephæ sint, & alii Pauli, & sic vnum 1. Cor. 1.

corpus ecclesiæ diuidatur, sed omnes vnanimis, tamquam vnum caput habentes Christum Deum & Saluatorem omnium nostrum, omnes communiter illi laudes offeramus, & eius præcepta similiter prædicemus: neque propter vnum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Nos enim, vt diximus, imperatorum Christo dilectorum nutu Constantinopolim venientes; dum multi nos ad communionem impellunt, & iuramento affirmant se ab apostolica sede dispensationis indultum obtinuisse, vt absque impedimento sacerdotalem dignitatem exercitare possent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus, a tua sanctitate expectantes aliquid firmi & certi. Hoc autem ausim affirmare, o venerandum caput, Deum adhibens testem, quod nullus eorum, qui cum Photio communicarunt, propria id fecerit voluntate, sed potius principum violentia. Quapropter tuam rogamus beatitudinem, vt populum, parum abest, desperatum misericorditer suscipias. Rogat te Petrus, cuius sedem administrandam obtines, qui ab omnium Domino edoctus fuit, vt septuagies septies ignosceret, etiam iis qui scienter deliquerint. Exaudi nos, vt etiam tu a Deo benignitatem desuper obtineas, & longo tempore ecclesiam apostolicam regere valeas precibus sanctissimæ Dei genitricis, cælestium potestatum, apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum, & omnium sanctorum. Amen.

Matth. 18.

EPISTOLA II.

STEPHANI PAPÆ V.

AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Ipsis pro ordinatione Stephani patriarchæ Constantinopolitani dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet, & vltiorem informationem petit.

*Stephanus episcopus seruus seruorum Dei vniuersis episcopis
& reliquis clericis, &c.*

Extat supra
in fine
Concil.
Constanti-
nop. IV.
tom. 23.

CATHOLICA Christi & Dei nostri ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus & fluctibus agitur, nihilo minus confirmatur & augetur. Nec mirum si huma-

ni generis hostis membra ecclesiæ tentare aggreditur, qui caput ipsum Dominum nostrum Iesum Christum tentare non dubitauit. Nec igitur mirum si Photium fati exosum ab ecclesia damnatum eiecistis, qui salutiferam Domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, & sancti baptismatis lauacrum sanctificatur. Prædictus itaque Photius laicus homo, si regiam viam ambulasset, & decretis sanctorum patrum inhæsisset, ad tantam insaniam nunquam deuenisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem contemnunt, percussi sunt tamquam primogenita Ægypti: tunc enim Israelita-^{Exod. 12.} rum primogeniti cum essent signati, seruati sunt ac custoditi. Quid vero erat ille sanguis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi, quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicumque igitur salutarem crucem paruipendit, euangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis: illas vero imperatoris literas cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant, Quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versatur. Multum enim interest, abrenuntiasse, & expulsus esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecûmque iudicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogauimus: & opus est, vtriusque partis religiosissimos episcopos mitti, vt pensata omni dubitatione, & veritate vtrimque manifestata, dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim ecclesia instar speculi & exemplaris reliquis ecclesiis constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

FRAGMENTVM * EPISTOLÆ
STEPHANI PAPÆ V.
AD FVLCONEM RHEMENSEM
ARCHIEPISCOPVM.

Pro Teutboldo Lingonensi episcopo.

Nos autem, qui omnium ecclesiarum in beato Petro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter

episcopos non haberi eum qui neque a clero electus, neque a populo est expetitus, sæpe dictum Teutboldum venerabilem diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensis ecclesiæ episcopum consecrauimus, condigna sententia præuaricatoribus illata, licet & aliis præuaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ iniungimus sanctimoniam, vt his nostris apostolicis literis perceptis, postposita dilatione ad Lingonensem accedas ecclesiam, & eundem Teutboldum a nobis solenniter consecratum episcopum exinde reuestias, omnibusque archiepiscopis & episcopis innotescas, pro tantæ contumaciæ vltione nos eiusdem ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione & oppressionis illatæ releuatione. Quidquid autem idem venerabilis episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit credite, & affectui mancipare nullo modo ambigite: vt-pote tuam reuerentiam circa nos deuotam consistere credimus.

NOTA.

^a *Epistola.*] Huius contenta recensens Flodoardus libro 4. cap. 1. hist. Rhemenfis ista scribit, *Stephanus papa ad Fulconem Rhemensem archiepiscopum scribit pro Teutboldo Lingonensi episcopo, significans ad se huius Lingonensis ecclesiæ querimoniam peruenisse, quod ob-eunte Isaac episcopo, inconsulto clero & populo, Egilonem quemdam monachum nuper de saculo venientem in episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinauerit, eisque vi illata præposuerit nolentibus, quo diuina vocatione homine excedente, ne in idipsum incurrerent, concordati voto clerus & populus Teutboldum ipsius ecclesiæ diaconum eligentes, ab ipso papa sibi in episcopum consecrari petierint: sed ille vniuscuiusque ecclesiæ priuilegium inconcussum seruare volens id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, vt si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri Canones illi non obuiarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi rescriberet, interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo se inconsulto præsumeret. Simulque & * Oirannum Senogallensem episcopum a suo latere direxerit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserit urbem, pollicitus se citissime subsequiturum. Quo cum diu expectaretur, nec ipse aduenerit, nec mora sua causam innotescere, vel papa remandare præuiderit. Quocirca iterato clerus & populus cum decreto manu omnium roborato præfatum electum Romam remisissent, obnixè sibi met illum consecrari petentes: sed nec tunc id agere acquieuerit volens Lugdunensi ecclesiæ collatum priuilegium immutatum consistere: ideoque iam dicto Aureliano iterato rescribens mandauerit, vt quia concordati voto clerus*

clerus & populus iam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile iudicaret rescribere maturaret: sed is priori inobedientia contumaciam adiiciens, non solum oblatum consecravit, seu quid in eo reprehensibile iudicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta, & sacrorum Canonum statuta quemdam extraneum, & eidem ecclesie ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere niti presumpserit. At hi potius laborem subire quam subiici ignoto eligentes ad se redierunt, implorantes ne pateretur ecclesiastica iura violari.

PRÆCEPTVM
CAROLI CRASSI REGIS
ET IMPERATORIS, QVO ECCLESIE
Cabilonensi canonica episcoporum suorum
electio concessa est.

*In nomine sanctæ & individuae Trinitatis, Carolus diuina
favente clementia imperator Augustus.*

Sia quæ diuinis conueniunt auctoritatibus præcepto nostræ altitudinis confirmamus, supernâ ob id gratiam promereri nullo modo dubitamus. Quocirca omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus & futuris, notum esse volumus, quod venerabilis Agilmarus Aruernorum præsul, adiens genua serenitatis nostræ, innotuit quoniam Girboldus Cabilonensis ecclesiæ venerabilis antistes & reuerendus, infirmitate iam simulque senio confectus, non modicum metu sui obitus ciuibus & filiis ecclesiæ suæ inferret dolorem. Itaque nostram humiliter deprecatus est dominationem, vt præfatæ ecclesiæ canonicam electionem concedere deberemus. Placuit ergo nobis saluberrimæ acquiescere postulationi. Decernimus igitur, & pro Dei amore hoc eidem concedimus, vt obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem. Hoc denique, quod diuino amore concessimus, nostro imperiali præcepto confirmauimus, & annulo nostro insigniri iussimus.

Signum Caroli serenissimi Augusti.

Salomon notarius ad vicem Liutvardi archicancellarii recognoui, & subsignaui. Datum pridie Idus Iunii, anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXV. anno vero regni domni Caroli imperatoris VIII. imperii vero V. Actum apud Gundulfi villam, in Dei nomine feliciter. Amen.

Concil. Tom. 24.

Yyy